



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 5. Alia peccata lepram merentia, & remedia eandem sanantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

poneretur, neque leproforum domus, neque columnæ sufficientes possent ædificari, Sed qui, ut pœnitentiam agant, nihil patiuntur, aut non stant in columna, ante Dei tribunal stabunt.

§. V.

*Alia peccata lepram merentia, & remedia eandem sanantia.*

Id multò magis verum esset, si lepra afficiendi forent, qui vel per homicidia cum Ioab, vel per Simonias cum Giezi, vel per sacrilegia, cum rege Ozia lepra contaminari merentur. O quot cædes fiunt innocentium, quæ non candida lepra, sed purpureo sanguine notantur! Quot vestes, quot calices sacri venduntur & emuntur! quot aræ, quot templa sacrilegè violantur! Hi omnes si impetigine, aut alopecia cooperti in certum locum forent separandi à sanis, totæ forent extruendæ pro eis ciuitates, sed sat pœnæ eos manet, si à societate ciuium supernorum separantur. Ad quam, ut è numero monstrorum exempti admittantur, Christus animarum medicus, in leprosis à se sanatis, viam monstrauit, quando decem leprosis sibi occurrentibus & dicentibus: *IESU misere-*

Luc. 17.

14.

*tere*



vere nostri, respondit: *Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mandati sunt.* Nimirum sicut leprosi in lege veteri erant quasi irregulares, eò quòd non tantum naturaliter, sed etiam legaliter essent immundi; adeoq; non tantum ab hominũ conuictu, verum à templo quoque & sacris arcerentur: ita peccatores omnes in lege noua sunt immundi, ac proin indigni consortio Sanctorum, à quorum caelesti domicilio, & beato illo Agni templo arcentur. Quemadmodum igitur illam leprosum irregularitatem non medicus, sed sacerdos poterat tollere; cui propterea se sistere debebant, vt expiarentur, ac sacris, iuxta ritum, quem Deus præscripsit, restituerentur: ita se se debent & nunc sacerdoti sistere, & accurata omnis labis suæ patefactione, per confessionem, & sacramentalem confessionem, sicut Christus instituit, ostendere, vt ab illo absoluantur, diuinæq; gratiæ, & in ius hæreditatis caelestis restituantur. Atque hæc de monstruosa Iudæorum lepra.

§. VI.

*Statua salis, in quam versa est uxor Lot, perennitas.*

Quod

Matth. 8.

4.

Luc. 5. 14.

dit. bin. 0  
Jald. 12

et. 1003  
as

Leuit.

c. 14.